... Caelestinus.

M. A. C., Illmo ac Rmo D. Ludovico Caelestino Dydziński – aureola theologici honoris collata solenni ritu.

ILLUSTRISSIMO ac REVERENDISSIMO DOMINO

LUDOVICO CÆLESTINO

Gozdawa de *Mnin*

DYDZINSKI

U. J. Doctori, S. Th. Licentiato, Divina Vocatione Abbati Trocensi, Congregationis Benedictino Polonæ per Majorem & Minorem Poloniam atque M. D. L. Visitatori Primo, Piosunensi Præposito.

Aureola Theologici honoris collata solenni ritu

à PERILLUSTRI ac REVERENDISSIMO DOMINO
D. M. JOSEPHO ALOYSIO PUTANOWICZ,

S. Th. Doctore & Professore, Canonico Cathedrali Plocensi, Collegiatæ SS. OO. Præposito, Præcelsi Collegii Præfectorum Institutioni Authoritate, Collegii Theologici interea Præside.

Annô Domini 1780. die 10. 8bris.

CRACOVIÆ

Typis Universitatis.

In Stemma Gentilitium

GOZDAWA

Jactent Pæstani pulcherrima lilia campi,
Hesperidum tellus tollat in astra, sua.
At Tua, quæ pietas, virtus quæ nutriit ipsa,
Nonnisi siderei seminis esse queunt.

Solennis hic sacræ inaugurationis dies. VIR PRÆSTANTISSIME, quo nobilissimo Doctoris Theologi honore exornaris, tantò illustrior summæ annorum Tuorum accedere debet ac jucundior: quantò hodie uberiùs, Supremi Litteraturæ Magistratûs cura Paternaqué solicitudine, in hac Generali Regni Schola lux litterarum effulget, jamqué recens in exteras funditur nationes. Nam si sacræ nomen Theologiæ semper augustum fuit ac venerabile: tum verò hoc potissimùm tempore, quo primariorum Reipublicæ Litterariæ Procerum consilia eò unicè conspirant; ut qui abdita illa retrusaqué scientiarum evolvunt mysteria, liberalem dent operam, & eò semper artem manumqué quàm studiosissimè dirigant, unde tam splendor ad honestandam Rempublicam pulcherrimus, quàm fructus ad vitam beatam uberrimi possint redundare. Æternùm proinde vivet semper suspicienda, semper per calamos & per ora Virorum itura STANISLAI AUGUSTI Sapientia, Qui ut Regnum Regniqué sui Provincias efficiat florentissimas, non solùm Artium studiis vitam quandam spiritumqué novum tribuit; verùm etiam Publicum in Regno Rei Litterariæ Magistratum creavit, cujus solicita Providentia per universum Regnum diffusa quiddam singulare ac Divinum ad immortalem Reipublicæ commendationem molitur.

 Omnes

Omnes quidem Civitates eò ferè aſpirare videntur, ut suis partibûs numerisqué expletam consequantur felicitatem: quam tamen haud illas poſse conſequi tutò quisque pronuntiaverit; nisì ab illa Divina scientia; quæ neceſsaria ab arbitrariis, ſplendida ab abjectis, præjudicata à sanis secernit: quæ insulsas plebis opiniones eripiens ſuperſtitionem in Religione tollit: quæ corda mutuo amoris fœdere vinciens Cives Reipublicæ Chriſtianæ optimos, optimos Patres, Filiosqué creat optimos; nisì inquam ab illa robur ac firmamentum accedat. Iſtud profectò præsidii Sacra Theologia è puriſſimis Divinarum Litterarum fontibus hauſta oraculîs Conciliorum Sanctorumqué Patrum firmata ſuppeditat: quæ ipſius Divinitatis agens interpretem rerum cæleſtium porrigit fructus: cujus salutaribus armîs cùm errorum monſtra confodiantur; tum religionum multitudo ad unum eumqué illibatum Dei cultum, ad una eademqué sacra & cœremonias revocatur. Quid ergo illâ præſtantius? quid Orthodoxæ Religioni utilius?

Cùm ex virtutibus, quæ omnem humanam societatem sartam tectamqué conservant, Religio princeps eſse judicetur: id ea potiſſimùm de causa, tum, quòd homines illa virtus facilitatem atqué mansuetudinem condocefaciat, tum, quòd in ea juſtitiæ parte, quæ Deo debitum persolvit, versari cenſeatur. Cæterum, niſi cautum ſit, ut non modo cultus atque officium sempiternæ Illi Naturæ tribuatur, pius Ejusdem injiciatur metus, aræ, sacra, cœremoniæ conſtituantur; sed etiam ut doctrinæ beneficiò cognoſcatur impenſiùs, quæ sit Deo vis & excellentia, quæ attributiones ac tituli, quæ sacrorum ac Reli-

gionis

gionis ad Eum ritè colendum ratio postuletur: nisi denique videatur, ut sit in his Civium omnium una & quidem summa animorum voluntatumqué consensio; nihil profectò invenies, quòd esse possit validius ad omnem hominum cœtum labefactandum. Nunquam enim tanta mortis subeundæ contentio, quàm cùm Religio in discrimen adducitur; nulla tam diuturna tamqué affectata odia, quàm quæ Religionis amore varietatequé suscipiuntur.

Quantum igitur de Republica mereantur illi, qui firmissima suppeditant præsidia non solùm ad evellenda pravæ cupidinis, superstitionum errorumqué elementa, verùm etiam ad hominum animos pietatis officiô, vinculô charitatis, communionequé sacrorum conglutinandos; truncus stipesqué sit, qui non intelligat. Nam, quæ scientia, antegresa ætate Dei Naturam patefecisset: quis immutabilem Illam Mentem animô percepisset unquam, æternam, absolutam, ab omni compositione sejunctam, omnia suo imperiô moventem & gubernantem, è nihilo omnia excitantem; Illum inquam, Qui tam operosam ac variam molem digitîs fulcit, nutu temperat, voluntate moderatur: Qui naturam & vim, Qui motum & spiritum impertitur omnibus; nisi in tanta rerum obscuritate tantisqué tenebris lumen Theologorum affulsisset? In Republica certè Orthodoxa; cui recondita quædam ac inaudita ipse per se demonstravit Deus ac retexit: quis tandem esset, qui sectas, qui opinionum varietates tollere posset; nisi cælestis Theologorum doctrina extitisset, qui cùm Dei scientia sint imbuti, & rationes longinqua commentatione didicerunt: quamobrem, & quomodo cultus & vene-

ratio

ratio Numini debeatur; Gentes rudes ac barbaras, longè latèqué sepositas sublimi doctrinæ genere ad Divinam Naturam ritè castèqué venerandam informârunt?

Emergunt continuò è latibulis & popinis præstigiatores, qui, ùt sunt ingenio vafro & ad omnem temeritatem projecto, primum Sophistarum ludibriis illiteratam plebeculam ac infirmam: deinde etiam eos, qui meliùs videre existimantur, ad novas religionum hæreses inducunt, largam ineptarum opinionum faciunt sementem, & venenum pro dulcissimo antidoto propinant. At exoriuntur etiam singulari Dei Immortalis beneficiô clarissima Theologorum Lumina, quorum sedulâ operâ perversitatis semina extirpantur, & fructus veritatis in cordibus spargitur: curatur virus animum absumens Divini nectaris suavitate, ac proseminata nova superstitio, quæ ab avita puraqué pietate plurimorum judicia distraxit, in suis quodammodo incunabulis suffocatur.

Duplicem hominis vitam fecere Platonici: unam, quæ corporis animiqué conjunctione contineretur ac societate; alteram, quæ sub oculos non caderet, & tota esset in virtutibus animi usqué adeò posita, ut eum hac ratione vivum duntaxat existimarent, cujus animus sapientiâ foret & virtutibûs informatus.

Utraque hæc vita corporis videlicet & mentis, quomodo sobriè sanctèqué instituenda & ad unguem castiganda, præclarè docet Theologia: dum, quid sibi quid Concivibus, quid Patriæ, quid Deo debeat homo præscribit amplissimè; dum nos subinde instruit & vehementer hortatur, ut socialitatis jura colamus ut animum tenerum adhuc parumqué recti tenacem

habea-

habeamus semper in officio, cupiditates assiduò ac continenter premamus debilitemus iram, cohibeamus audaciam omnem affectionem aberrantem à recto intra rationis & justitiæ limites contineamus.

Profectò sacræ huic scientiæ infinita propemodum in acceptis sunt referenda in Religionem emolumenta. Illius disciplina peperit justissimos Christianæ Reipublicæ Cives, qui se non tam sibi, quàm humano generi natos rati, cum ea, quæ Dei sunt, ad pulvisculum usquè reddidisent Deo, summos, medios, infimos: homines universos, ignotos ac barbaros monitis, cohortationibus, omni officiorum genere amplexi sunt, & singulari charitatis studiò exceperunt. Illa educavit moderatissimos Viros, plenos pudoris & sanctimoniæ, qui non modò vulgares corporis voluptates abjecerunt, sed ipsas prope voluptatum fibras, hoc est, multiplices illas exultantis animi cupiditates penitus extirpârunt. Ex illius castris prodierunt fortissimi Propugnatores, qui Rem Christianam in periculum adductam, & Christi Regnum convelli intuiti, non dubitârunt certissimo cum vitæ discrimine & sui profusione sanguinis, Religionis sacrosanctæ terminos amplificare.

Cùm affectus in potestate atque officio habiti pro armis sunt, ùt ait Philosophus, & præsidio: tum si deficiant à ratione & repagula juris effringant, parere nesciunt, imperium detrectant, principem rationem hostiliter invadunt, cujus non præceptum modò complecti, sed nutum respicere debuisent. At verò, sola saluberrima Theologiæ arma hostes istos & excursores compescunt, hos sola debellant: illas inquam obstrepentes inconditi animi commotiones cohibent, & intestinam perturbationum componendo

nendoseditionem, pacemtranquillitatemqué mentis restituunt. Ne multa: in augustissimis Theologiæ adytis patent beatæ vitæ præcepta, ubi non solùm ea, quæ religiosas humani consortii sanctiones edoceant, sed etiam, quæ ad cælestem Patriam iter patefaciant, suavissimè delibantur.

Intelligis, suspicor, DOCTOR Cl. quò isthæc Sacræ Theologiæ laudatio collineet: si nempe in memoriam revocare velis, quæ Te virtutum meritorumqué circumstent ornamenta. Atque, ut taceam illam fortunæ dotem, qua cæteri insolentiùs gloriantur, suamqué in Atavorum Ceris, in plenis illustri gentilitate fastis collocant virtutem; id tamen silentiô premere non debeo, Te acceptam à Majoribus nobilitatem egregiis virtutibûs amplificâsse: quippe qui ad solidam laudem plurimùm valere reputas, & hæreditaria præclarè, & partâ propriaqué luce splendere honorificè.

Quòdsi verò nullam, ùt fert Tua modestia, illustrium Tuarum virtutum commendationem facere vellem: omnem profectò in me humanitatis sensum extirpare viderer, justamqué convitii notam mihi inurendam sperarem; cùm quivis in eam abeat sententiam: honoribus tantis, quantis jam adauctus es, & usque exornaris amplissimè, quiqué gravissimorum solent esse pretium fructusqué laborum, debitum suum esse omnino persolvendum.

Nemo facilè ad honorum apicem eluctari potest, quin eum virtutum meritorumqué splendor proximo continenter passu comitetur. At enim, quis Tuam prudentiam, mansvetudinem, benignitatem cæteraqué pii & moderati animi non novit lumina,

quæ

quæ & omnium suffragia merentur, & omnium, amabilitate sua, corda devinciunt & oblectant? Hanc dulcissimam morum integritatem suspexit in Te VIR ILLE ILLUSTRISSIMUS ABBAS TYNECENSIS, litterarum virtutisqué honor, AMANDUS JANOVSCIUS, qui Te non solùm in studiorum suorum consvetudinem recepit & impensè amavit, amatqué locupletissimè: sed etiam nobilissimis esse dignum honoribus judicavit.

Nuper PRIOR Tynecensis, & nunc communibus votis & suffragiîs Sacræ Congregationis Benedictinæ nuncupatus ABBAS Trocensis, per Majorem & Minorem Poloniam atque M. D. L. VISITATOR Primus, ac Piosunensis PRÆPOSITUS, quid non moliebaris, & non moliris? quas curas animô non versas? Unicè Tibi cordi est inter Tuos legis observantiam stabilire, illosqué ad studium sanctitatis vehementiùs inflammare, morum puritatem in summum gradum evehere; si qui à recti tramite discesserint, in planum revocare; si qui vel levissimi nævi irrepserint, eosdem placidissimè resecare, illibatæ purissimæqué vitæ semen inserere, Tequé Ipsum pulcherrimarum virtutum exhibere exemplar.

Hæc dum pronuntio, vereor quidem, ne apud Te Virum modestissimum hac prædicatione suboffendam; at quantumvis ego tacerem, loquetur tamen vox publica: loquetur Tuum in Superos amorem, Divini cultus propagationem, liberalitatem Tuam Monasterium Trocense ejusdemqué Sacra Ædes, quæ recèns è suis surgentia fundamentis, Tua cura impendio & solicitudine excitantur; monumentum Tuæ pietatis futura immortale.

Rarum, quod ajunt, solet esse virtutis cum sapientia commercium: utraque tamen svavissimo in Te sociata foedere, fixum apud Te posuit domicilium. Non Te sapientia fecit elatum, caeteros alto supercilio despicientem tumidum, verùm haec illecebris & duldulcedine virtutis temperata summis carum praestitit & infimis. Profectò, sublimis illa eruditio, quam, dum sex annorum curriculo in TYNIEC acutissimi Philosophi, sex itidem in TYNIEC & TROKI docti & probi Theologi partes expleres, quam, inquam, cumulatissimè in alios sparsisti, illiusqué in publicis clarissimorum Virorum consessibus & concertationibus plena admirationis reliquisti monumenta: quantum plausum, approbationem quantam, quanta Tibi pepererit omnium suffragia, recens adhuc rumor testatur & duraturus testabitur. Erant in Theologicis rebus quaestiones arduae nodiqué, ut ita loquar, difficiles ac complicati, quos solvere non possent, nisi exercitatissimi Viri & solertissimi: solvisti. Erant loci argumentorum, & arcana in oraculis illis rerumqué sacrarum paginis obscurissima, quae subtilissima quandoque fallunt ingenia: ea scrutando es feliciter assecutus. Verbô: ea subtili acumine complexus es, quae & Viri Theologi elevarent gloriam, & insignem Tibi apud primae notae eruditionis Viros commendationem conciliarent.

His porro aliisqué praeclarè gestis ornatus, illustre Tibi à genere, illustrius ab eruditione, illustrissimum à meritorum praestantia vitaequé moderatione comparasti nomen, quod etiam majoribus in dies ac majoribus non desinis ampliare virtutum incrementis. Jure igitur gaudere debet plurimumqué laetari Con-

sobri-

sobrinus Tuus *Reverendissimus Dominus* JOSEPHUS *PUTANOWICZ*, hujus Theologici Collegii PRÆSES hac perampla meritorum Tuorum fama, quæ per Te aucta & uberrimè diffusa Illius pariter gloriæ imponit fastigium; ita tamen imponit, ut ab alterius lumine meritorum, lumen alterius accendatur: utriusque verò augeatur felicissimè.

Ac denique, ne nimiæ exaggerationis reus esse arguar, modum orationi meæ ea lege statuo, ut cæteris, religiosa Tua facinora nobilissimaqué anim ornamenta posteritati consignaturis, plura commemoranda relinquam. Ego verò præter Piam candidissimæ voluntatis significationem, nihil amplius adjicam, quàm ut Te ILLUSTRISSIME ABBAS *DEUS Optimus Maximus* Litteris, Tuoqué Sacerrimo Ordini salvum & incolumem conservet.

Detqué Tibi vires vegetas, viridemqué senectam:
Quamqué Tibi tribuit fortunam, donet eâdem
Posse frui: Nomenqué Tuum vehat alma per orbem
Fama; & percelerem metuens dissolvere pennam
Te clarum meritîs, clarîs virtutibûs auctum
Prædicet; atque Tuis complendo laudibûs oras
Sepositas, Te Te transcribat in acta Deorum.
Hoc Tibi præsagit lambens Tua tempora laurus:
Præscia venturi cælestia pectora Vatum
Hoc spondent: ita sentit amans, sic sentit honorans.

 M. A. C.

Rectoratu
Magnifici

PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI

D. M. ANTONII ZOŁĘDZIOWSKI,

Utriusque Juris & Sacræ Theologiæ DOCTORIS & PROFESSORIS, Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis CANONICI, Collegiatæ Visliciensis SCHOLASTICI, Facultatum Theologicæ, Medicæ, & Philosophicæ PROCANCELLARII.